



Rodolphus ille Tiguri honestis parētibus natus atq; educatus fuit. Erat autem is corporis & animi fortitudine insignis, atq; præclaris uirtutibus præditus. Itaq; Tigurini eum suum consulem elegerunt. Cum autem eo tempore Tigurini cum Heluetijs grauissimum bellum per aliquot annos gererent, Rodolphus ille magna prudētia reipublicam administrauit, atq; effecit ne patria sua detrimento aliquo afficeret. Accidit ergo anno 1443 ut Heluetij instructis copijs Tigurum uersus procederent. Id cum Rodolphus intellexisset, suos cohortatus, paucis hostibus obuiam factus est. Cum uerò utrinq; acriter pugnarēt, animaduertit aliud

Heluetiorum agmen secundum Sylum fluuium tacitè descendere, ut superato ponte urbem occuparent. Itaq; statim suos eius rei admonitos iussit paulatim retrocedere, atq; sese in urbem recipere, ut eam contra hostes tuerentur. Verùm Heluetij cum id sensissent, acius instabant, atq; cum Tigurinīs procul dubio urbem irumpere sperabant. Hinc factum cum ad pontem uetum esset, ut Rodolphus, qui prius in prima frōte steterat, atq; in recessu modò ultimum agmen claudebat, ciuibus suis in urbem præmissis, ipse in medio ponte subsisteret, atq; solus hostium copias retardaret. Ibi magno animo aliquandiu cum hoste, militarem securim manibus uersans, pugnauit, atq; plurimos hostium prostrauit. Tandem uerò multitudine superatus fortiter trucidatus est. Hac autem ratione is patriam suam insigni uirtute liberauit. Vnde eius memoria adhuc apud Tigurinos recens existit. Stumpff.